



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XLIV. Epistola Co[n]uentus Cremsmunsteriani ad Abbatem Admontensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

liter pulsamus, petendo petentes, vt tandem aliquando nobis aperiatis, & ad fructificandum in horto nostro plantam, quam desideramus, personam videlicet Domni Rab. non nobis, sed Deo in salutem animarum multarum transmittatis. Siquidem priore cassato labore, pro obtinendo Fratre Irmberto, ne adhuc nos & Ecclesia nostra in Chremesmunsture videremur de consolatione vestra in tanta necessitate nostra dubitare; electus est, & conlaudatus ab vniuersis iam dicti monasterij & Fratribus & Laicis, & vniuersa loci familia consentientibus Dominus & Frater Rab. adeò consonè, ore omnium & corde, quod nec vna persona defuerit, quæ, more solenni, sicut & vobis electionis modum transmisisimus, in Dominum & Abbatem, illum spontè non elegerit.

Proinde, etsi in priore negotio, & electione illius personæ Babebergensem Ecclesiã attentius quàm nos è vicino pulsantes exaudistis; adhuc tamen, adhuc de cætero, de vobis benè sperare, & sperata, & rogata impetrare à nobis non abstulistis.

Vnde rogamus sanctitatem & vniuersitatem vestram in Domino, quatenus & me, & electores personæ illius vnanimiter exaudire dignemini. Et, ne excusationes denegandi, quod petimus, nobis rescribatis, voluntatem DEI, & Ecclesiæ consuetudinem, & iustitiam in electione & petitione nostra præhonorandam, & Fratrum necessitati condescendendum non ambigatis. Ad irrigandam ergò prænominatæ congregationis nostræ ariditatem, hortum conclusum, fontem signatum in charitate dignemini discludere: quia vt emittatur porta quam petimus, & ex ea diffundantur aromata, quæ cupimus, clamare millies, aperite nobis, aperite, non cessamus.

XLIV.

Epistola Cōuentus Cremsmunsteriani ad Abbatem Admontensem.

Reuere[n]do Domino suo G. Venerabili Patri multarum gentium, nec non vniuersæ sanctæ congregationi

gationi Admuntensis Cœnobij, nouæ desponsationis filio-
 li, licet indigni, Fratres Chremesmunsture monasterij, si
 quid potest apud DEVM pauperum Christi per orationes hu-
 militas, quod tantæ dignitatis recipiat sanctitas. Non dedi-
 gnetur reuerentia vestra, sanctissime Pater & Domine, literas
 nostras recipere, & legere. Et quia nos Saluatorem anima-
 rum vestrarum in Domino quærimus, & quærendo confidi-
 mus misericorditer adtendere. Quædam autem, salua gratia
 vestra præmittimus, de quibus DEVM testem inuocamus; sci-
 licet, quod postquam Dominum Irmbertum tantum per om-
 nia commendatum elegimus, nos, qui residui sumus, semper
 eum dileximus, semper eum habere patrem & Dominum de-
 siderauimus. Et si adhuc vestræ & ipsius placeret sanctitati in
 eodem statu laboris procedere non deficeremus, quamuis il-
 lum vix vel nullo modo reuocare sufficeremus. Qui verò visi-
 tationis suæ impedimentum nobis obstitierint, videat Deus &
 iudicet.

Quomodo cunq; verò, siue præscientia DEI, siue peccatis
 nostris exigentibus Babebergensis Ecclesia nobis dignior i-
 psam elegit, electum vocauit, vocatum obtinuit, merito in-
 gemiscim⁹ & dolemus, adhuc tamē sub spe saluationis ad sinū
 misericordiæ pro consolatione recurrentes, de congregatio-
 ne vestra Dominum * Rab. lumen veritatis & iustitiæ, diuina
 præueniente gratia, liberè & canonicè, solenniter & vnanimi-
 ter, sine murmure, sine omni cōtradictione tā de monasterio,
 quam ministerialium in Domino elegimus, & electionem no-
 stram apud DEVM & apud homines subscriptione proprię per-
 sonę legitimè cōfirmamus. Ego Chunradus Prior eligo, laudo
 Dominum Rab. Patrem & Dominū, & subscribo; & c. quem
 admodum in literis Domino nostro Episcopo directis descri-
 psimus: ita & nunc electionem nostram liberam & Canoni-
 cam ratam & inconuulsam in audientia vestræ sanctitatis le-
 gitimè confirmamus.

f. Rabanum, vt
 & supra.

Anno-